



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1276 Usque Ad Annum 1312

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1766**

**VD18 90118251**

§. 21. Papæ querimoniæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67012](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67012)

Sæcul. XIV.  
A.C. 1307.

§. XXI.

*Papæ querimoniam.*

*Spicil. to. 10.  
p. 357.*

*Dupui. p. 100*

*Baluz. to. 2.  
p. 114.*

Clemens comperta communem per ru-  
morem Templariorum comprehen-  
sione, quæ rationes Regem eo induxis-  
sent, infcius dolorem inde simul & i-  
ram concepit præcipue contra Inquito-  
rem Guilielmum Parisinum, qui iplo in-  
consulto quæstionem subito habuisset.  
Quocirca ejus ac Præsulum eatenus pro-  
gressorum potestatem suspendens, totam  
Templariorum causam ad se evocavit.  
Etiam Regi scribens, quod is hos E-  
quites Summæ Sedi proxime subiectos  
carceribus addicendo jurisdictionem ec-  
clesiasticam usurpaverit, conquerebatur.  
dicebatque duos a se Cardinales Beren-  
garium Fredolium ac Stephanum Su-  
fium ideo ad ipsum mitti, ut cum eis haec  
de re ageret, ac iisdem traderet tam Tem-  
plarios quam horum bona. Dabat  
Oct. 1307. Rex, Episcopi, & Inquitor  
exponebant Papæ, fuisse opus præve-  
nire mala Equitum consilia fidei gravi-  
ter perniciosâ, ut liqueret ex cogitatio-  
nibus per Præsules ac Inquisitores ca-  
ptis.

Rex separatim respondit Templarios  
rogatu Inquisitorum, quos Papa ipse in  
Gallia constituisset, carceribus mandatos  
duobus



duobus Cardinalibus, qui Papæ ac Ec- Sæcul.XIV.  
clesiæ personas gererent, traditos esse: A.C.1308.  
ita se iussisse, eo quod jura Ecclesiæ ac  
sua cunctis in rebus tueri cuperet. Ad-  
didit: Ad illorum bona quod attinet, fi-  
deliter custodienda curabimus, ut im-  
pendantur integra in suppetias terræ  
sacræ ferendas, quibus pietas Christia-  
norum ea primitus destinavit: iisdem-  
que bonis accipiendis & conservandis  
homines probos præferemus, alios ab-  
iis, qui nostra tractant negotia. Dabat  
dominica ante Natalem Christi vicesima  
quarta Decembris anno 1307.

Deinde Papa melius rem edoctus su-  
spensionem contra Episcopos & Inqui-  
sitores pronunciatam sustulit; sed ea le- *Spicil.p.630*  
ge, ut in sua quisque dioecesi ac territo-  
rio privatos tantum Templarios percon-  
tarentur, non nisi a Metropolitans in con-  
ciliis provincialibus judicandos: qui ta-  
men in generalem Ordinis totius sta-  
tum non inquirerent: hujus enim co-  
gnitionem Papa Legatis hanc ob causam  
missis, Magni vero Magistri ac præcipuo-  
rum Equitum examen ac iudicium si-  
bi & Summæ Sedi reservabat. Hæc  
continent litteræ ad cunctos Franciæ  
Episcopos & Inquisitores datæ Pictavii 5  
Julii an. 1308.

Interim Clemens pergebat mandata  
edere, ut Templarii cæteris in regioni-  
*Hist. Eccles. Tom. XXII.* S s bus



Sæcul. XIV. A.C. 1308. bus caperentur: ut patet ex epistola  
 quam 22 Novembris scripsit ad Robertum  
 Calabriæ Ducem Regis Neapolitani  
 filium natu majorem. Significabat ei  
 quomodo Gallorum Rex de consilio Præ-  
 sulum, Baronum, aliorumque virorum  
 prudentium Magnum Templariorum Ma-  
 gistrum, & plurimos Equites privatos uno  
 eodemque die comprehendi curave-  
 rit. Adjungebat: Tum Magnus Magi-  
 ster Parisiis coram multis viris sacris  
 spectatisque, Doctoribus Theologiæ &  
 aliis ultro est confessus defectionem a Chris-  
 to in professionem Equitum introductam  
 esse contra primam Ordinis institutionem.  
 Permulti Equites ejusdem Ordinis in  
 diversis Galliæ partibus eadem fateban-  
 tur scelera, quæ serio dolebant: & nos  
 ipsi aliquem clarissimo genere & autho-  
 ritate magna conspicuum his de rebus  
 interrogavimus; qui nobis falsus est se  
 in suo ingressu Ordinis Christo fidem cal-  
 tumque renunciasse, ac vidisse idem fa-  
 cere alium in præsentia Fratrum plurimum  
 ducentis. Proinde te oramus, ut has  
 nactus litteras Templarios in tuis ver-  
 santibus terris quamprimum comprehen-  
 di cures tali cautione, ut cuncti unico  
 capiantur die, & nostro tantum nomine  
 afferentur. Ex nostra pariter authori-  
 tate homines fidos sed alios a ministris  
 tuis curare illorum bona jubebis.